



Disputatio VI.

Continens decem Articuli V.

De Lege & Evangelio.

PROFORMA

CHRISTIANÆ

CONCORDIÆ,

Quam assistente divinâ gratiâ,

SUB PRAESIDIO,

Reverendi & Clarissimi Viri,

Dn. LEONHARTI

HUTTERI, SS. THEOL. D. ET

Professoris in celebri Academia VViteber

gensi Publ. in Collegio disputationum Theolo-

gicarum privato proponit & exhibet

M. GEORGIUS HEILBRUNNER,

Ambergensis, Palatinus.

Ad diem 24. Septembr. Anno 1603. horis

pomeridianis.

VVITEBERGAE, Ex Officina Cratoniana.





Reverendis & Clarissimis viris,

IA COBO, ET PHILIP-
PO HEILBRUNNERIS, FRATRI-
BUS. GERMANIS, SS. THEOLOGIAE DOCTO-
ribus eximijs, Parenti ac Patruo omni honoris
& observantiae cultu aeternum
colendis:

NEC NON

*Reverendo, omniq[ue] virtutis & Eruditionis laude
eminentissimo viro,*

Dn. DAVIDI SCHRAMO,
ILLUSTRISSIMAE AVLAE PALATINAE
Neopyrgicae Ecclesiae fidelissimo, Do-
mino, ac fautori suo hono-
rando,

*Positiones hasce Theologicas, debita pietatis, observantiae
& gratitudinis ergo offerre & nuncupare vo-
luit; certè debuit*

Respondens.



DISPUTATIO VI.
DE DISCRIMINE LEGIS
ET EVANGELII.

I.

Miseram & deperditam conditionem, ex lapsa Proto-
plasterum in universum genus humanum derivatam, è primo
Christiane Concordie Articulo abundè cognovimus.

II.

Tanta certè ea est, ut Homo non regeneratus planè
mortuus sit in peccatis, Eph. 2, 1. & ad sui conversionem non
plus, quàm cadaver sive Homo corporaliter mortuus ad sui resurrectionem conser-
re queat. Quamobrem etiam Spiritum sanctum initium, medium, & finem Con-
versionis, per verbum & Sacramenta, tanquam per ordinariū organon, sive ὄργανον,
quo fidem confert, operari necessum est, uti Articulo secundo fuit ostensum.

III.

Fide verò illà, ex auditu verbi conceptà, Homo justificatur; & quidem abs-
que ullis meritis vel operibus: quæ à Iustificationis actu penitus excludi, Artic: 3.
& 4. fuit demonstratum.

IV.

Iustitia verò illa revelatur in Evangelio ex fide in fidem, sine Lege, Rom:
1, 17: 3, 21. Quocirca diligenter retinendum est verum & illustre Legis & Evange-
lij discrimen: & tam diligenter distinguenda est iustitia Evangelij (uti B. Luthe-
rus in Comm: cap. 2. ad Gal. monet) à iustitia Legis, quàm diligenter distinguitur
coelum à terra, lux à tenebris, dies à nocte: Atq; utinam adhuc longius eas distin-
guere possimus!

V.

Quæ cum ita se habeant: visum est in presentiarum, ordinis ratione sic effla-
gitante, primarium Legis & Evangelij discrimen inquirere: Id quod hac συζήτη-
σει, Deo volente juvante, breviter, prout instituti nostri ratio fert, consuetà illà
Concordie περίληψιν expeditum dabimus.

A 2 CA.

CAPUT I.
Status Controversiæ.

I.

Etsi in S. literis, tam Evangelij, quam Legis vocabula, interdum generaliter, minusq; discretè usurpantur: si tamen utriusq; attendatur nativa proprietas; certè tanta eorum deprehenditur differentia, ut, nisi ab invicem probè discernantur, fieri non possit, quin plurimi, tum in doctrina Iustificationis, tum in aliis religionis Christianæ Articulis, errores oboriantur.

II.

Et profectò negari non potest; ex neglecto Legis & Evangelij discrimine, plerosq; Pontificiorum errores de Iustificatione Hominis peccatoris coram Deo prodijisse: imò inde originem etiam traxisse propositiones illas et epe dōgmas, quas de necessitate bonorum operum ad salutem sparsas, Liber Concordiæ, Articulo superiore proximo reiecit & damnavit.

III.

Proinde singulari Dei beneficio factum est, ut, per ministerium B. Lutberi nostri, duo isthæc doctrinarum genera, pristinae puritati restituerentur.

IV.

Verùm, uti nunquam ocio torpet Satan; nullam non movit lapidem, donec rursus inter quosdam Augustanae confessionis socios, dissensionem excitavit, de verâ & genuinâ Evangelij definitione.

V.

Quidam enim asseruerunt: Evangelion propriè non esse tantùm doctrinam de gratiâ Dei, verùm etiam esse simul Concionem pœnitentiæ: quæ summum peccatum, videlicet incredulitatem, redarguat. Quidam verò, mente & sententiâ prorsus ab his alieni, contrariam sententiam propugnarunt: quodd nimirùm Evangelium propriè non sit Concio pœnitentiæ, arguens peccatum (hoc enim legis Dei proprium esse officium, arguere omnia peccata: ac proinde etiam incredulitatem, velut reliquorum fontem:) sed quod, propriè loquendo, Evangelion sit prædicatio de gratiâ, clementiâ, & Φιλανθρωπία Dei, propter Christum: per quem ad Deum conversis incredulitas (in qua ante agnitum Christum hæserant, quam etiam Lex Dei redarguerat) condonetur & remittatur.

VI.

» Status controversiæ proinde proprius ac legitimus est: An Evangelium (qua-
» tenus speciatim sumitur, & à Lege contradistinguitur) propriè sit tantum-
» modò concio de gratiâ Dei, quæ remissionem peccatorum nobis annun-
» ciet:

ciet: An verò etiam sit Concio Pœnitentiæ, arguens peccatum incredulitatis; quippe, quæ non per Legem, sed per Evangelium duntaxat arguitur? Prioris Membri Affirmativam; posterioris verò Negativam tenet Liber Christianæ Concordiæ: Cuius sententiam nunc ex solidis sacra scriptura fundamentis demonstrabimus.

CAPVT II. Thesis sive Affirmativa.

I.

Tribus autem potissimum Questionibus summam tractationis nostræ comprehendemus: Ac primò quidem geminâ distinctione controversiam hanc componemus: tum de revelatione peccati agemus: ac tandem, verum Legis & Evangelij discrimen inquiremus.

II.

Prima proindè Questio est, de genuinâ Evangelij definitione: Sitne Evangelium etiâ concio Pœnitentiæ? Questio I, de definitione Evangelij.

III.

Duplex autem in presenti Questione sese offert ὁμωνυμία: Prior est in voce Evangelij, quæ interdum sumitur γενικῶς & ὀλικῶς pro totâ doctrinâ Christi, quam ille in Ministerio suo, quemadmodum & Apostoli, professus est: Marc: 1, 14: 16, 15. Prædicate Evangelium omni creature: Quod in duas quasi species dispescit Lucas c. 24, 47. Oportuit prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum: Act: 20, 21. 24: Luc: 9, 6.

IV.

Et quando hoc modo accipitur; à parte potiori, prædicatione scilicet illâ latâ gratiæ Dei in Christo nobis promissâ, & annunciatione gratuitæ remissionis peccatorum, & reconciliatione cum Deo fit denominatio: Ac utramq; & Legis & Evangelij concionem sub suo ambitu comprehendit.

V.

Ministerium enim Novi Testamenti arguit peccata; sed operâ Legis: Conversionem Hominis urget; sed contritionem ex Lege: fidem ex Evangelio operans.

VI.

Hinc etiam Iohannes Baptista, Christus, & Apostoli Conciones suas à pœnitentiæ prædicatione sunt exorsi: Matth: 3, 2: Marc: 1, 4 & 15: Luc: 3, 8: Matth: 4, 17: Act: 2, 38. & alibi.

VII.

Interdum verò vox Evangelii sumitur εἰδικῶς & κατὰ μέρος, prout Legi ἐν ἁδὶν ἠγγεῖλως opponitur: Et hoc respectu tantum pro doctrinâ de gratuitâ peccatorum remissione accipitur: Quo pacto haud magis Evangelium Concio pœnitentiæ; quàm ira gratia, aut mors vitæ dici potest.

De hoc significato sic differit Christiana Concordia: Quando Lex & Evangelion; Moyses ut Doctor Legis, & Christus ut doctor Evangelij inter se conferuntur: credimus, docemus, & confitemur, quòd Evangelion non sit concio Pœnitentiæ: arguens peccata: sed quòd propriè nihil aliud sit, quàm lætissimum quoddam nuncium, & concio plena consolationis, non arguens aut terrens: quippe, quæ conscientias contra terrores Legis solatur, easq; in meritum Christi respicere iubet, & dulcissimâ prædicatione, de gratiâ & favore Dei, quo nos propter Christum proficitur, erigit.

IX.

Assertionis huius veritas patet ex firmis è scripturâ sacrâ deductis rationibus, quarum aliquas duntaxat recensebimus:

I. Cuius tantum est de gratiâ Dei, & gratuitâ peccatorum remissione concionari: illud certè non Pœnitentiæ, sed tantum gratiæ & salutis Concio dici meretur.

At verò quoties S. Scriptura de Evangelio *εὐαγγέλιον* loquitur; tum tantum Gratia Concionem ei tribuit.

Ergò.

Maiorem nemo nisi bardus negabit: Minorem confirmant plurima S. literarum testimonia: Esa: 40, 9. & seqq. 52, 7: Rom: 10, 15: Esa: 61, 1: Luc: 4, 18: Zach: 9, 9: Iohan: 3, 17: 5, 45: Act: 5, 20: 10, 36: 13, 26: 14, 3: Rom: 1, 16.

X.

II. Promissionis non est accusare aut terrere, sed bona offerre.

Evangelium est promissio, Rom. 1, 1. & 2, 1. Iohan: 2, 25.

Ergò.

XI.

III. Si Justitia Dei revelatur in Evangelio ex fide in fidem, sine lege: tum sequitur, licet in doctrina Christi & Apostolorum multæ inveniantur Conciones de Peccato & Bonis Operibus: eas tamen non esse propriam Evangelij doctrinam, quatenus ea à Lege contradistinguitur.

At verum prius, Rom: 1, 17: 3, 21.

Ergò & posterius:

XII.

Est verò & altera *ἠμετανόησις* vocabuli Pœnitentiæ expendenda: Quod itidem vel generaliter accipitur pro totâ Hominis Peccatoris ad Deum conversione, & tum inclusam habet fidem: Luc: 13, 5: 15, 7. & 10: vel specialiter, pro primâ Pœnitentiæ Parte, nimirum Contritione, vel seriâ peccatorum agnitione, & tum à fide distinguitur: Marc: 1, 15: Luc: 24, 47: Act: 20, 21: 3, 19: 26, 20.

Poste-

XIII.

Posteriore respectu Pœnitentia ex Lege solâ, non etiam ex Evangelio hauriri & potest & debet: Rom: 3, 20. Per legem est agnitio peccati: Et cap: 7, 7. Peccatum non cognovi, NISI per Legem. Priore verò neq₃ ex Lege solâ, neq₃ ex Evangelio solo, sed utroq₃ doctrina genere petēda est. XIV.

His ita præmissis liquet, quid de sententiâ eorum sit iudicandum, qui Evangelio propriè sic dicto Pœnitentia Concionem ascribunt.

XV.

Si enim Evangelij vox latè accipiatur pro toto Ministerio Novi Testamenti: Pœnitentia verò pro tota hominis Peccatoris ad Deum conversione; tolerari aliquo modo potest illa Evangelij descriptio. Evangelium enim (uti B. Lutherus noster loquitur) prædicat Pœnitentiam, sed Ministerio Legis. Quod ipsum etiam habent Articuli Smalcaldici, Art: 3.

XVI.

Sin verò à Fide Pœnitentiam distinguas, & sic Contritionem arctè à significatione notes: tum Evangelium, propriè sic dictum, tam non Concio Pœnitentia dici poterit, quàm idipsum arguere peccata dici nequit.

XVII.

Secunda Quæstio est de Revelatione Peccati: Unde sit revelatio Peccati? Ad Quæstionem hanc respondet Concordia: Velum Moysis omnium hominum oculis esse obductum, quamdiu solam Legis Concionem; nihil autem de Christo audiant. Lex enim tantum foris perstringit oculos nostros, & animos nostros peccato corruptos maiestate sua percellit; eos verò non illuminat, verum excœcat potius: non aliter ac facies Moysis, quam si cum populo loqui voluit, operire necesse habuit, Exod: 34, 33. & 35: & quam usq₃ ad Christum velatam esse oportuit, qui velamen isti detraxit, 2, Cor: 3, 14.

H. Quæstio, de Revelatione Peccati.

XVIII.

Vnde etiam illud sequitur, quod ex nudâ legis prædicatione homines vel inani Φιλανθία insentur; & vel hypocrite, vel tumidi Pharisei efficiantur: (non quidem per se, sed per accidens) uti videre est Luc: 18, 11. & 12. & 21. Matth. 19, 20: vel etiam nimiam μωγοψυχία animo deiectione in desperationem ruant: veluti Iudas, Matth: 27, 4. & 5; Cain, Gen: 4, 13.

XIX.

His ergò extremis, ut medicinam adhiberet Christus; etiam in N. T. legem spiritualiter sibi explicandam sumpsit: ut 1. peccatū (sicuti B. Lutherus noster loquitur) clariùs agnosceretur: Per Legem enim agnitio Peccati, Rom. 3, 20: 7, 7: Et 2. hoc modo Pharisæicâ presumptione & superbiâ refusâ, Matth: 5, 6. 7. nec non irâ Dei de cælo super omnes omninò peccatores revelatâ, Rom: 1, 18. gratia tantò ardentius quæreretur, quantò peccatum certius sentiretur.

Comm: in cap. 2 ad Gal

Ea:

XX.

Eâ ratione ad Legem illi ablegantur, ut ex eâ demùm rectè peccata sua agnoscere discant: Quam agnitionem peccatorum Moyses nunquam ab illis extorquere potuisset. Quia (ut Apostolus restatur) etsi Moyses praelegitur: manet tamen nihilominus velamen super faciem eius, non reiectum, ut non agnoscere possint homines, Legem esse Spiritualem, & exigere à nobis res longè maximas, quas cum prestare & implere nequeant, Legem nos horribili & extremâ maledictione atq; damnatione obruere. Quando autem ad Christum convertuntur, tùm velamen illud tollitur: ut idem Apostolus docet, 2. Cor: 3, 14. & 15.

XXI.

Vsus igitur & officium Legis est (uti Megalander Lutherus in cap. 3. ad Galatas annotat) non solum ostendere peccatum & iram Dei: sed etiam compellere ad Christum: licet quis ille sit, ubi inveniendus, quomodo apprehendendus, nō explicet. Hunc usum legis solus Spiritus S. initio querit, deinde Evangelium ostendit: quia solum Evangelium dicit: Deum adesse contritis corde. Hæc Lutherus. Opus est ergo prædicatione Evangelij, ut sit pœnitentia ad salutem, 2. Cor. 7, 10.

XXII.

Et quanquam historia Evangelica in descriptione passionis Christi horrendam abominationem peccati, & magnitudinem iræ Dei adversus peccata ob oculos ponit: adeo quidem, ut B. Bernhardus dicat: Nunquam credidissim, peccati & iræ divinæ atrocitatem tantam esse, nisi eam in acerbissimâ Christi morte Deus mihi contemplandam proposuisset: tamen, quamdiu nobis Christi passio & mors iram Dei ob oculos ponunt, atq; de eâ concionantur: tamdiu revera non sunt proprie Concio Evangelij, sed Legis & Moysis doctrina. Vnde manifestum fit, Spiritum sanctum non tantum consolari, verum etiam (Ministerio Legis) arguere Mundum de peccato: & ita in N. T. facere opus quasi alienum, quod est arguere: ut postea possit accedere ad proprium suum officium, quod est prædicare de gratiâ Dei, consolari, & vivificare.

XXIII.

III. de vero
discrimine
Legis & Ev-
angelij.

Tertia & postrema expediunda restat Questio, qua est de vero Legis & Evangelij discrimine. Etsi verò plura aliàs hinc inde in libellis methodicis traduntur discrimina: quorum etiam quedam ex nostra hac, brevi licet, tractatione licuit animadvertere: præcipuum tamen & certissimum istud est, quod hoc in loco Christiana Concordia inculcat, his verbis: Credimus, docemus, & confitemur, Legem esse propriè doctrinam divinam, in qua iustissima & immutabilis Dei voluntas revelatur, qualem oporteat esse Hominem in suâ Naturâ, cogitationibus, verbis, factis: ut ille Deo probari & acceptus esse queat.

Cum

XXIV.

Cum verò hæc à nobis præstari nequeant; ideò eo etiam nomine nos reprehendit. Deiq; iram ac æterna supplicia nobis denunciat, Deut. 27. & 28. Gal. 3, 10.

XXV.

Vnde B. Lutherus noster pulcherrimam regulam extruxit: Quicquid ostendit peccatum, iram seu mortem; id exercet officium Legis, sive id fiat in veteri, sive in Novo Testamento. Hanc regulam satis abundè confirmant ea, quæ supra à nobis dicta sunt: Quod & ipsum luculenter patet ex 2. Cor. 3.

XXVI.

Nec est, ut quis excipiat; in Evangelio tamen Incredulitatẽ argui. Quatenus enim verbo Dei fides non adhibetur; eatenus & ipsa Lex incredulitatem arguit. Siquidem Lex Dei in primo præcepto omnem incredulitatem erga Dei verbum arguit: Evangelium verò, quando doctrinæ de fide opponit incredulitatem; non arguit incredulitatem: sed ostendit tantum, quid sit incredulitas, nempe, talis dissidentia, quæ abijcit gratuitam promissionem reconciliationis, & non credit in Filium Dei, &c.

An Incredulitas ab Evangelio arguatur?

XXVII.

Et hæc etiam est, quod B. Lutherus noster ait: Quia Evangelium donat credentibus in Christum per imputationem perfectam illam obedientiam, primo præcepto debitam: Ideò Antithesis Evangelij monstrat speciem illius incredulitatis in primo præcepto prohibitam.

XXVIII.

Evangelium verò propriè doctrinam esse dicimus, quæ doceat (quandoquidem Homo Legi Dei satisfacere in æternum non possit: cum Lex infirmata sit per carnem, Rom. 8, 3. Quin potius natura, cogitationes, sermones, & facta eiusdem Legi repugnent: Vnde ira Dei, morti, omnibusq; temporalibus & æternis pœnis obnoxius sit:) quid miserrimus ille peccator CREDERE debeat, ut remissionem peccatorum impetrare, æternamq; salutem gratis obtinere queat: Nempè, certò statuere, Christum omnia peccata sua in sese recepisse, Esa. 53, 4 & 5: omnia nostra peccata, atq; iram Dei plenissimâ satisfactione expiâsse, Gal. 4, 5: Rom. 8, 3: patri suo nos reconciliâsse, ac deniq; universa sua beneficia donasse, nobisq; suam obedientiam per fidem imputasse.

XXIX.

Hæc pertinet altera illa B. Lutheri nostri regula: Quandoquocunq; prædicatur gratia Dei, & remissio peccatorum per Iesum Christum (sive id fiat in veteri, sive in Novo Testamento) hæc verè Evangelium prædicatur.

Comm: cap. 1. ad Gal.

Quocirca

XXX.

Quocirca, ut verbo dicamus, Lex Ministerium est, quod per literam occidit, & damnationem denunciatur, 2. Cor. 3, 6: Evangelium verò est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom: 1, 16.

XXXI.

Verùm Lex per Evange- lium destrua- tur?

Quando verò hoc modo Legem & Evangelium ab invicem distinguimus; Legem per fidem non destruimus: Legem, inquit apostolus, destruimus per fidem? Absit. Imò Legem stabilimus. Rom, 3, 31: Sed potius utrumq; doctrinae genus, certo suo fine ac respectu, in Ecclesiâ Dei docendum esse statuimus.

XXXII.

Licet enim mutuis finibus & officiis ab invicem distincta sint: tamen ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ καὶ ἀλλοτρίᾳ mutuas tradunt operas: Ac Lex quidem Evangelium, & hoc illam digito monstrat: Evangelium non est Lex, neq; Lex est Evangelium; sed Evangelium Lege, & hac illo nititur. Hactenus θεοῖς: sequitur ἀντιθεοῖς.

CAPUT III.

Antithesis sive Negativa.

I.

Antithesin sive Negativam Concordia nostra unico Anathematismo pertrahat, dum eorum erroneam opinionem resutat & rejicit, qui Evangelium proprie sic dictum per Pœnitentiæ Concionem definiunt.

II.

Hunc errorem non modò iam pridem Romanenses suum fecerunt, uti cum primis ex disputationibus Roberti Bellarmini lib: 4. de Iustificat. cap. 2. videre est: sed eundem quoq; nonnulli Sacramentarij Φιλιππίζοντες, magno (sed irritò conatu) propugnare hodieq; student.

III.

Ceterùm error iste multis absurditatibus, in ἀναλογίαν fidei impingentibus, manifestè laborat: Nam 1. Evangelium per ineptam μεταμόρφωσιν in Legem transformatur: 2. meritum Christi obscuratur: 3. piis mentibus veram consolationem eripit: ac tandem 4. Pontificiis erroribus fenestras & portas bipatentes aperit.

IV.

Ex hoc porro errore resultat & ille, qui fingit, Christum in N. T. suo Ministerio Legislatorem fuisse. Quem errorem Patres Concilii Tridentini promulgaverunt, sess: 6, can: 21. Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo Homini- bus datum

tum esse, ut redemptorem, cui fidant; non etiam, ut legislatorem, cui obediant, anathema sit. *Idem asserit Bellarminus lib: 4. de iustificat. cap. 5 V.*


Nos stocci pendentes brutum istud Romani Idoli fulmen, cum B. Luthero nostro statuimus, Christum in N. T. suo Ministerio propriè non esse Legislatorem, sed Doctorem gratiæ & benevolentiae Dei, Justitiæ, & salutis æternæ, gratis conferendæ per fidem, Redemptorem, Salvatorem, Impletorem Legis, collatorem gratiæ, sanctificatorem, & Naturæ corruptæ instauratorem per Spiritum sanctum. Cui Redemptori ac Salvatore nostro unico sit laus, honos, & gloria, in omne ævum. Amen.

Σημειωτα.

- I. An Evangelium sit nova quædam Lex propriè sic dicta?
Negatur.
- II. An Lex non sit digna, ut vocetur Verbum Dei? *N. contra Islebium, & reliquos Antinomos.*
- III. Sitné eadem substantia Veteris & Novi Testamenti?
N. contra Calvinum, eiusq; asseclas.
- IV. Anné Leges forenses, ad Politiam Israeliticam spectantes, Christianos in Novo Testamento etiam obligent?
N. contra Carolostadium.

F I N I S.







Continen
 De Lege
 PRO
 LA CI
 C
 Quam as
 SUB
 Reveren
 Dn. LE
 HUTTERI,
 Professoris in c
 genfi Publ. in C
 gicarum p
 M. GEORGI
 Amb
 Ad diem 24.
 WITEBERG.

